ENTHRONISTICVM SECVRIS THEATRVM.

Quod virtutis ardor reserauit;
Honoris amplitudo ornauit,
Perillustris ac Reuerendissimi Domini,

D. LVCÆ KALINSKI

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopi
Nicopoliensis, Suffraganei, & Decani
Leopoliensis, S. R. M. Secretarii,
noua dignitas occupauit,

ET

PALLAS FRANCISCI DOMINICI HEPNER,
debitæ tum suæ in Reuerendissimum Pietatis, tum
Syndesmi Paterni causâ, in felici inaugu-
ratione consecrauit.

aVrea VIrtVs InVIDIæ SagIttas Con-
teMnIt. (MDCXXVI)

LEOPOLI,
In Officina Ioannis Szeligæ, ARCHIEPISCOPALIS
Typographi.



Præsuleâ positam miraris sede SECVRIM
Bella times? meritò: bella SECVRIS amat.
Ne trepida: sine Marte ferox, sine vulnere mitis
Ascia KALINII est: non ferit, ædificat.

Perillustri, ac Reuerendissimo in Christo Patri, ac Domino.

D. LVCÆ KALINSKI, Dei, & Sedis Apostolicæ Gratia Episcopo Nicopoliensi, Suffraganeo, & Decano Leopol: S. R. M. Secretario. &c. &c.

NOua dignitatis Tuæ amplitudo, Perillustris, & Reuerendissime Domine, acriter me stimulat, vt inter lætos fausta Tibi precantium auspicia plausus, animi quoque mei gestientis clariora depromã argumenta. Quod vt cumulatiùs faciam, celsumq; honoris Tui felicius attingam fastigium, silentis, sed in amore Tuo nunquam nutantis auxilium prudẽs imploro Apollinis. Quamquam Harpocratis rosam nunquã metuit Apollo; dum prælo clauditur, clarior est: dum tacitis commendatur chartis, in omnium illabitur animos; nullius excluditur pectore; ad victura creditas sibi laudes extendit sæcula. Ac talibus quidem vocibus, quæ

non deflorescente verborum ambitione consenescant ,
magna illustrium virorum ad laudes nutrita est semper am-
pliores dignitas : tali plausu , qui non cum moriente occū-
bat sono , benignitati alienæ mancipata ad referendum v-
berius se excitauit gratiam fides. In vtroque plaudentis
animi mei ardor vult eminere : sed vereor, ne voto ma-
gis generoso , quàm fructu glorioso pulcher enitescat, Vir-
tutis enim Tuæ me tacente illustris gloria crescet : & tanto
sublimis consistet fastigio , quantùm suis fortissima viri-
bus sibi potest virtus præparare : pietatis verò Tuæ, & a-
moris lux, quam mihi sanguine iunctis asperitate tempo-
rum pressis , fluctuq; pestilitatis atroci iactatis prætulisti ,
Buscensisq; portus placidam stationem reserasti ; ita iam
creuit ampla , vt eam mirari , sed non grato complecti
possim præconio. Sed cum sapientis sit , (vt oracula Ne-
roniani docent Magistri) bene debere , & beneficia bene
soluere : felicem me profectò eâ laude credam , si quod
non possum , debere me nec erubescam , nec ingemiscam.
Et quidem sub dulci hoc meritorum Tuorum non exol-
uendorum pondere , quàm hilaris , quàmq; lætus stem, sin-
gularis Patris mei in te cultus, ac obseruantia docebit ; qui
tametsi nulla beneficentiæ Tuæ sentiat onera, amoris ta-
men longo vsu, & cōsuetudine firmata necessitas, maxi-
ma illa se credit effecisse : docebit & SECVRIS Tua, quā
Tu à Maioribus Tuis clarissimis acceptam, eximiâ virtu-
te ad Illustres Pontificiæ dignitatis , & Suffraganeatus
Leopoliensis extulisti thronos : quam idcirco celebritate
mea tollo , quia debeo : idcirco ornatam Tuæ Amplitu-
dini offero , quia sub Coronâ illius feliciter mancipa-
tus Tuæ laudi venalis stare cupio. Agnosce itaq; Peril-

lustris

lustris & Reuerendissime Domine hoc gratæ meæ voluntatis in Te pignus: accipe amoris mei donum, Tuumq; esse non erubesce: non enim se suâ ambitione, sed Tuæ dignitatis cōmendat gloriâ: cōplectere SECVRIS Tuæ qualiacunque ornamenta; & quæ non digna honore Tuo perspexeris, præscinde; quæ dignitati Tuæ augendæ commoda agnoueris, amore Tuo defende. Faciet profectò Pietas tua, vt cum multa Tibi debeam, maiora me debere profitear; faciet amoris Tui suauitas, vt quoties, in tabulam beneficiorum Tuorum oculos, animumq; Tibi deuotum intulero, toties, quæ me obligatum premant, inueniam, quæ meritorum certamine expunxi, omnino non reperiam.



H. Lamerour

Accidit autem vt cum vnus materiam ſucci-
diſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam excla-
mauit ille, & ait: Heu, Heu, Heu, Domine
mi, & hoc ipſum mutuum acceperam. Dixit
autem homo Dei. Vbi cecidit; at ille monſtra-
uit ei locum: Præcidit ergo lignum, & miſit il-
lud, natauitq; ferrum, & ait, Tolle? qui ex-
tendit manum ſuam, & tulit illud.
4. Reg: cap: 6.

PROCHNICII PONTO ET ZEPHIRO.

Dilecta cœlo flumina, flumina!
Hem quo iubetis plaudere gurgites
Veſtros triumpho! in quæ procellas
Ducitis aut tumidas trophea!
Res mira: ferrum quod ſtetit in ſinu
Neptuniano, detrahit inſitæ
Vim molis: altas prenſat auras,
Et ſine pondere calcat vndas.
O magna dextræ gloria Olympicæ
Quam iura naturæ facili trahit-
Confuſa nutu! Lex Tonantis
Vim facit, & violenta nulli eſt.

Nec

Nec rara ferro est tanta licentia;
En ire poſcit ſurſus in arduos
Auſus! procellis imperare
Vult, ſuper & fluuios natare.
Videte fluctus Prochnicio tument
Qui fonte, celſi Pergama dulcibus
Leonis exornant ſuperba
Et riguis recreant fluentis.
Videte, ferrum quâm placido vehant
Sinu SECVRIS KALINIAE thronis
Illudq; collocent ſacratis:
Præſuleis ſocietq; vittis?
Miraculorum creſcite lumina!
Inuſitatis plaudite flumina
Amoribus! tollat SECVRES
O pietas noua naufragantes;
Sed digniori fixa gradu micet
SECVRIS, vndæ dignior hauſerat
Quam fluctus, Euripi premebant
PROCHNICII arctiùs ac amoris.
O tam coruſco cùm niteas throno
SECVRIS, alto gurgite PROCHNICII
Euecta: IORDANEM tuum orna;
Atq; tuum redama ELISÆVM.

Ornabit

Ornabit & Reſtaurabit.

TVtiùs æchereâ grex vt conſiſteret orâ,
Tãgere PROCHNICIJ quã properabat aquis;
Vorticibus, ſummis celſum Pirauius arte
Inſigni pontem ſtruxit & ingenio.
Obſtaret cæptis ne dirus turbo: trabali
Appoſuit ſolers fortia vîncla viæ.
Faſcia rupta: cadit pons: qui crudelibus obſtet
Fatis, PROCHNICII quærit, & ardet amor.
Inuenit lapſum quæ ſubrigat Aſcia pontem:
Ad ſua Nauclerum dans vada Kalinium.

Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atquè perfectis ædificata eſt: & malleus, & Securis, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur. 3. Regum 6.

Sæpè ſtat in celſis virtus occulta Theatris.

MAiore lucem nobilis explica
Virtus theatro: Syrmata contrahis
Quorſum? ampla laus, quæ per patentes
Fert digito radiante limbos?
En circus ardet: laudibus en tuis
Orcheſtra flammat: pectus honoribus

Permulce amicis: dulce magnis
Plausibus ire per ora, & aures.
Spernis tonitru, spernis amabile
Fulmen theatri! fulgura respuis
Quêis circus ardet? Sole Plausus
Tecta dati radiare non vis!
Ductore talem quo rapis orbitam?
Est arcta: virtutis feret inclytæ
Non illa molem: funde pulchrum
In stadio radium ampliore.
Angusta prensas? poscis & arcta! sic,
O sic modestum KALINII iubet
Pectus: nitere magna virtus
KALINII didicit latendo.
Fulsere quondam sic Salomoniæ
Dextræ triumphi: Sydera machinas
Vidêre delubris stupendas,
Turrium & obstupuêre fastum.
Superba sed non fulmina mallei
Sensêre plaudentis: tumidam in choros
Nec ire viderunt securim:
Et tacito stat honor trophæo.
Exempla tantæ casta modestiæ
Prensat SECVRIS KALINII struit

Virtutis altæ templa, corde
Sed facit in tacito triumphos.
Stet, ſtet fideli preſſa ſilentio
Iam pulchra magni gloria pectoris:
Sed non ſepulta conticeſcet,
Obruta lux meliùs niteſcit.
En iam latentem Præſuleum decus
Quærit; iacenti ſuggerit & thronos
EPISCOPALES. Hem SECVRIS
Quàm micuêre latentis ignes!
Nitere quiſquis poſcit: amet gradum
Nunquam coruſcum. Occulta iubar vibrat
Virtus ſerenum: quæ ſuperbo
Conſtitit alta gradu: fatiſcit.

Suo fulgurat Aſtro.

STat ſublime ſuper fortē. Stephanoma Securī:
Cur ita? ſic virtus KALINIANA iubet,
Ardenter cæptis inſiſtere ferrea ſuadet
Vis: exacta operi fert Anadema manus.

Cùm apud Romanas, tum apud Græcas gentes SECVRIS fuit ſeueriſsimæ animaduerſionis Hyeroglificum, vt in Tenedio nummo, de quo Pollux, & Ariſtoteles,
Pierius Libro 42. in SECVRI.

Kaliniam scelerum portenta timere
SECVRIM,

IAm satis terræ parulum per orbem
Sæuiit miscens Phlegeton venena,
Heu sat vmbroso violentus hostis
Mersit Auerno?
Tot malo cæcus furor vrit æstro!
Et tot infamis labefactat ardor!
Tot sitibundos animos, Obrizi!
Terret orexis!
Quem vocet Phæbum, Podalyriumq;
Mundus extremâ positus ruinâ?
Tanta qui possit, (quis erit Machaon,)
Tollere philtra?
Præsulis nostri Deus hanc Tyaræ
Detulit laudis meritæ coronam,
Morbidis nullum melius KALINI
Cauma bipenne.
Hoc luem ferro sopias peritus,
Dipsadas, Lernas, Chelydros, Cerastas?
Hac truci quidquid premit arte mundum
Tolle SECVRI.
Fiat: hoc lætis animis vouemus.
Fiat: infestas Phlegetonte Echidnas
Merge, non surgent rediuiua monstra.
Te feriente.

Vita,

Vitali vulnere sæuit.

VInea stat Christi siluestribus horrida dumis,
Et formidat apros depopulata truces:
Exere KALINII vires animosa Bipennis,
Hæc te bella vocant: hæc tibi palma datur.
I succide vepres, i detege lustra ferarum:
Horret detectos bellua dira specus.
Si campis rabies aprugna ferocit apertis,
Bella moue: in campo prædo patente cadit.

Quasi in Sylua lignorum SECVRIBVS exciderunt ianuas eius in idipsum, in SECVRI & Ascia deiecerunt eam.
Psalm. 73.

Tot contra sufficit vna.

ITe, ite fortes in stadium trucis
Martis SECVRES, ite SECVRIBVS
Offerte dirâ flammâ anhelis,
Quos pietas acuit furores:
Ite, ite honoris vulnera Olympici
Acerba pulchro vulnere tollite:
Amore vestro diritatis
Barbaricæ reparate damna.

Ite, ite funus, bustaq; pellite,
Quæ machinatur perniciabilis
Aris Enhio? laus cruore est
Magna, focos Superûm tueri.
Cuius SECVRIM clangor at hic petit?
Accendit & quam buccina Martijs
Isthæc furoribus cateiam?
Mucro quis haurit & has Erynnes?
Ferale murmur dum tonuit: silent
Circi: SECVRIM KALINIAM vocant
Fortes arenæ: vim SECVRIS
KALINIÆ petit ipse Mauors.
Nec illa laudis prodiga fit suæ?
Ballacis ignes prensat adoreæ,
Protecta victrici Coronâ
Erigit ante aciem tropæa.
Ergo scelestæ per studium volent
Pium SECVRES: Marte tonent truci:
Nil machinæ possunt: furores
Nil, vbi KALINIA est SECVRIS.
Defensa stabunt templa: nec impia
Aræ timebunt regna: SECVRIS!
EPISCOPALIS stans Tyarâ
Sacrilegas reprimit SECVRES.

Ornata

Ornata frontem templa ſub æthera
Tollent ſerenam : Diuus honor genas
In purpuram induet : dolores
KALINIA exhilarat SECVRIS.
Flammæ SECVRIS KALINIÆ dabunt
Cunctis triumphum : damna ſed vnicæ
Immanium ferent Cyclopum
(Fraus pietate cadit.) SECVRES.
Stabunt acerui cædis, & aggeres
Stabunt Ruinarum, quibus impiæ.
Per vineam CHRISTI volantes
Accipient tumulos SECVRES.
Quid ni tropæum ſumat ab hoſticis
Audax maniplis ? omnia nobilem
Adoream dant : dant SECVRIS,
VITTA CORONA THRONVS, trophæũ.

Acerbo Marte ſalubris.

NIl hic molle vides : ferrum per vulnera currit:
Improbus eximium vult Stephanoma labor.
Eſt quota KALINII pars iſta nitoris: in arcto
Floreſcit virtus cuius & alta petit ?

Apud

Apud Athenienses in iudicium vocata SECVRIS *est, ac absoluta : idqué vt quotannis fieret seruatum traditur.* Cælius Rhodigin. lib 12. Cap. 6. Pierius lib. 3. in Tauro.

Cælesti stat defensa fauore.

DIcite Cecropidæ, Cranai dicite Patres,
Bruta quod auia scelus tãtũ patrasse bipẽnis,
Quam ferreus contra stylus,
Flebile Theta vibrat.
Martia, nõn acies hæc barbara, vulnera fecit,
Regius hic nec erat, quo rorat acinace sanguis,
Nec purpurâ, albâ nec togâ,
Profluus iste cruor.
In vestram nituit veteri pietate salutem,
Et rubuit vestris cognato sanguine Diuis.
Cultrariâ cum victimam
Fecerat illa manu.
Ite pij Patres iterum in suffragia, Ferri
Alpha ferat pietas, vestri moderamine Voti,
Agatur aut ex Syngraphâ,
Iudice me Alpha feret.
Sontica ni pietas, vel ni quondam aurea virtus
Transiit in vitium. pro tẽpora! tẽpora! sic iam

Vix ma-

Vix maior est algâ Deus,
Ætheriumq; decus?
Macte Tuæ Præsul pietati incumbere perge,
Æmula virtutis tacitum licet ante Tribunal.
Plebs morsicatim, te petat
Scindat & opprobrijs.
I licet & stygius toto fremat ore Senatus,
Aude Tu maiora sequi. Sublimiùs urge.
Tuæ Bipennis gloriam
Quâ via lata patet.
Terra Tibi applaudit: tot9 Tibi plaudit Olymp9,
Pro Superûm Hac quidquid moliris laude Bipē-
Sūmi Tonantis calculo (ni,
Alpha mereris. Habes.

Compare nullo.

A Scia KALINII gladios fortissima Vincit,
Fortes; nobilium vincit & arma Ducum.
Nam Diadema capit fastigia celsa thronorum,
Quod cupiunt magnis Regibus esse decus.
Regia sceptra fugat LVCAS: sed stēmata prēsat
Regia, quæ virtus pulchra labore parit.
Hinc & Deliaci radiata Sysimbria floris
Occupat: hinc ferri vim ferientis habet.

Eximium est quod vtrinq; capit: felicius astra,
Virtuti tantæ sed diadema parant.

Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorũ pariter conglobatos: ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta SECVRI præcidit arboris ramum: impositumque ferens humero dixit ad socios: Quod me videtis facere, citò facite.
Iudic. 9.

Laude stat exemplum, fortis quam dextera prensat.

PErgant SECVRES: n l satis igneis
Credant medullis esse datum, inclytæ.
Exempla quod non occuparint
Laudis: honor sibi mancipatum:
Nec incitatus dicat. Ad arduum
Accensa culmen laus rapitur: throno.
Virtus & in celso coruscat,
Egregijs stimulata factis.
Pergant SECVRES: Martia quod iubent
Decreta, magno protinus emicet
Ardore ductoris patratum:
Igne Ducis generantur ignes.

Si per

Si per Phalangas fulmina Principis
Spargantur acris : quid nisi fulmina
Crescunt, in hostiles cateruas
Quæ præeunte ruant stratego?
Sic ô per altum gloria tramitem
Vadit : sed alto rara micat loco,
Quæ ducta non currit prioris
Calle pedis, via nota suauis.
Ab igne fortis flamma ruit manus,
Tholosq; frangit mollis inertiæ:
Ignaua vicinis calescit
Mens facibus, generatque flammas.
Fulgebat istis Abimelechica
Flammis SECVRIS: pulchra tulit sui
Brabæa feruoris, triumphos,
Quos inimica dedit ruina.
His flammat audax, fulget & ignibus
SECVRIS, ardens dextera quam rotat
LVCÆ, perennes dum Colossos
KALINIO fabricat nitori.
Flammare magnis ignibus est parum,
Ignaua si non corda faces petant
Et excitent laudes, supinat
Quas vitium tenebris sepultas.

Flammare multùm est ignibus: algida
Queis concrementur pectora: dissipet
Extincta virtus laudis amplos
Atque rogos generosioris:
Hæc, hæc SECVRIS KALINIÆ nitet
Laus pulchra: virtutis rutilâ face
Coruscat exempli: potentes
Sed parit, & iaculatur ignes.

Gregis ad commoda.

AEquora Prochnicij rapido consurgite fluctu,
Nec premite angustis flumina littoribus.
Ascia KALINII maiora dat ostia vobis:
Latiùs ô vester, iam cataclismus eat.

Iouis simulachrum ex securibus confici solitum apud Lydos quod illi lingua sua Labradeum dixere.
Pier. lib. 42.

Soluet formidine Russos.

CRedet ne quisquam? credidit attamen
Olim vetustas impia, Veiouem
Lydâ bipenni, condidisse
Threijcio sacra iura regno:

Sed

Sed iura paruum est condere, imaginem
Magnum est Tonantis stare Securibus
Suauem seueris, magnum in acri
Stare DEI simulachra ferro.
Hæc bellicosis anne Laconibus
Innata Laus est? magna SECVRIBVS
Deprœliari regna Magni
Quæ facies animat Tonantis?
Felix Bipennis, KALINIAE Enthea
Dîs laude, fortes fortibus approba
Et nunc creari, promouente
Robur, & ingenium Tonante.
Securitatis pignus es, aureæ
Felicitatis tessera, Symbolon
Certum Salutis, & perenne
Russiaco auxilium Trioni.
Insultet Eurus, flent Aquilonibus
Noxæ procacis flamina, turbidis
Rubiginent cœlum procellis;
KALINII hæc reprimet catena:
Rotet cruentos Dacus Acinaces,
Trucem sagitta terribilis Scythes
Mortem instruat: mortis Bipenni
KALINIA recident furores.

Mauors Polonâ magnus adoreâ.
Seu vis, rebellem vade Borusſiam
Aut Moſcuam pulſa, tremendo
Enſe, vel Hunniadas, Suecoſq;.
Decede campo hoc: crudum adamantino
Thoraca nexu proijce, RVSSIAM
Quæ protegant diâ in Tiarâ
KALINIÆ vigilant SECVRES.
Iam læta tandem tibia RVSSICO
Celeuſma lætum ſuccine Clymati,
Deperditas dic PAX Curules,
KALINIA repetit Bipenni.

Noſtræ vtrumq; ſaluti.

PROCHNICII fontes fæcundo rore maritant
Germina, quêis Chriſti gêmea ſylua tumet.
Vt niteant fructu meliore putata: SECVRIS
KALINII vites luxuriare vetat:
Creſcite purpureæ purgato palmite gemmæ:
Et rore, & ferro gloria veſtra nitet.

Retuſæ itaque acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium, vſque ad ſtimulum corrigendum.
1. Reg: 13.

Ad verſa

Aduerſa inter acrior arma.

HEu probra Martis cedite Olympici:
Mucronis altum non laceret pudor
Iners honorem: ardente bello
Dedecus eſt aciem retundi.
Iniurioſo ſpicula crimine
Vacent: ſecures non feriat ſcelus:
Eſt turpe fracta poſcere arma,
Hoſte truci fodiente pectus
Audax arenas Sanguineas pete,
Ciſſæa proles: ne tituba: nouas
Retuſa flammas arma fundent:
Vincit amor gladio cadente:
Sublime Martis robur adeſt tui,
Diſcindit hoſtiles Ionatas globos:
Patremq; fortibus, Deumq;
Fert animis: feret ô triumphos!
Ceſsiſtis Hebræo ex ſtadio probra,
Mucrone Saulis dum ruerent faces,
Graues Philiſtarum & triumphis
Deijceret Ionathas SECVRES
Sacratiori fulget adoreâ
Bellator, ignes de Ionathæ trahẽs

Mucro,

Mucrone; portentum facesse
Quod laceras sacra templa, & aras:
Facesse: Ductor KALINIVS rotat
Fortis SECVRIM: vulnera destinat,
Clademq; spargit per Phalangas,
Quæ rabido fremuêre bello
Perite pestes, Schismaticæ fouet
Quas Lerna fraudis: colla neci vouet
Iam vestra funestæ SECVRIS
KALINIANA: Perite pestes.
Defensa Diuum Altaria nobilem
Prensate lucem, dat iubar aureum
Vobis SECVRIS bellicosa
KALINII; date templa plausus.
Ornata Diuum altaria sumite
Felicitatis pignora: gratiæ
SECVRIS in vestros repandit
KALINIANA sinus nitores.
Ite, ite fortis prælia dicite
Aræ SECVRIS: siue graui tonet
In Marte: non timet retundi:
Vestra facit pietas acutam:
Amoris amplas siue vibret faces
Queîs vestra crescat gloria: non cadit
Extincta

Extincta: vestræ suauitatis
Laude petit generosa flammas.

Vulneraт, nec funerat.

Ascia KALINII duros ardescit in ictus:
Vulnera dans, nullo vulnere fracta cadit:
Pone animos inimica Phalanx, bellante SECVRI
Hac cadis: ecce tuâ clade anadema capit.

Penthesilea Amazonum Regina bellicæ SECVRIS vsum inuenit.
Plin. lib. 7. Hist: Nat. c. 56.

Cœlo decertat, cœlo trabeata triumphat.

Ad arma bellax virgo, Martium quate
Tuâ SECVRI prælium:
Incude quam Regina Chalybũm Thracia
Magnæ recudit gloriæ:
Ignaui & vsq;, & vsq; mauelis specu
Latere mersa pulueris?
Assurge ad astra: penulæ da purpuram,
Et cæsa rastris marmora:

Molire fasces, & Curules, laureas
Innecte claro vertici.
Defige vili clara busto Emblemata
In rupe Nomadum nobili
Nec allubescat flere, totum rustico
Mundum sepultum funere;
Eburneos deposcat ardor Martius
Virgo Colossos ardua,
Gentile nomen pinge cippis gemmeis,
Argenteis, & Aureis,
Ad arma tecum socia Præsulem trahes!
Tuá SECVRI munies!
Maiora pectus ambit. arma Præsulis
Et altiore flagitant
Figi tholo. Tonantis ignes Ascia
Anhelat ista. prælium
Spirat Bipennis ignea mentis face,
Pro lege, & aris, & DEO,
Cælo meretur: cælum adornat adoreis
Strategus hic. Niloticum
KALINIANAE non capit marmor decus
Virtutis: vnus inclyti
Apex triumphi restat. vnus gloriæ
Tholus Bipenni huic par, POLVS.

Gentili

Gentili Omine, & Numine,

ASciA KALINII prenſat generoſa Coloſſos;
Inque coronatos ardet abire tholos;
Iurè vtrumq́, petit; Virtus eſt digna Coloſſo:
Doctrinæ meritum quis Stephanoma dabit?

Romanorum Conſulum inſigne, & Regum Lydiæ geſtamen erat SECVRIS.
Cælius Rhodig. Lib. 5. Antiq. Lect. Capit. 11.
Pierius Lib. 42.

Terras, & Aſtra coércet.

REgale Sceptrum, & aureum dextræ decus
Romana virtus iure vindicet ſibi
Trucem Bipennem. Lydiorum gloria
Ferro Triumphet. Lictor. I. denuncia.
Hoc bellicoſa Roma ferro floruit.
Hoc vaſta terrarum ſuis ſceptris ſola
Felix ſubegit; ab occidentis clymate
Ad vſq; Ponti limitem, terræ vltimas
Cludentis oras. Lictor. I. denuncia.
Ferro ſuperba colla ciues flectite,
Tanquam Latinæ Symbolo potentiæ,

Harpen timete ſtemma Lydæ gloriæ.
O ſceptra! ſceptra! pondus ignauæ manus,
Vmbræ, fauilla, tranſeuntis gloriæ,
Collata ſceptris KALINII, quæ iam Sacri
Virtutis altæ ſubuehunt throni, & decus
Ornat Tiaræ. Ter beata ſtemmata
Bellace dextrâ KALINIA. nobilis
Sariſſa Præſulis potentior manu,
Beate Præſul hac Strategus Aſcia,
Te pertimeſcunt Ditis immerſi vado
Manes profundo. Legibus parent Tuis
Beata cæli quî ſequuntur agmina,
Magniq; iura Numinis pijs colunt
Pectoribus, arbitrium Securis vt Tuæ
Vult, Infulæ Tuæ & poteſtas imperat.
Niteſce Præſul dignus Imperio Soli.
Floreſce Præſul dignus Imperio Poli.

Laude perennat.

VErtice flãmantis quis fixit ſerta SECVRIS?
Vno ſtat ferri, floris honorq; throno:
Nodus hic eſt ſolers: hoc KALINIANA niteſcit
Laus ſibi ſubiectum munit, amatq; gregem.

Sapientia ædificauit sibi domum, excidit Columnas Septem.
Prouerb. IX.

O quàm te memorem, tituli quâ laude superbi
SECVRIS extollã tuũ nomẽ,& ingeniũ!
Cuius inreximio Sapientia lusit honore,
Fastigiatæ duceret cum super astra domus
Culmina: Phæbæis rutilaret & æmula flammis,
Palatij iactans decus, Dedaleæq; manus;
Septem magna tenẽt magnas fundamina moles,
Septẽna fulget machînis Pyramis horrificis:
Insultat cælo labor, ars insultat Olympo:
Et artifex poscit DEI dextra micare throno:
Pande precor ducis tam miras vnde SECVRIS
Vires? coruscas tam potens cuius & âuxilio?
Dic adeo fortem qui te genuêre camini?
Tantum nego Valcanijs robur inesse focis:
Norica te rupes nutriuit? Thracia fortem
Poliuit aut incudibus te generosa suis?
Nil hic terrenum est: spernit Sapientia terram:
Nec celsa virtus sordido puluere mersa iacet.
Te peperit Saphyrus, cælestibus atq; potentem
Honorib⁹ Te reddidit, queis tumet ipse potẽs

Astrorumq; Tibi flammans Carbunculus ignes
Donauit, & Phæbi æmulas iussit adire faces:
Diuinæq; Adamas virtutis imagine pulcher
Diuinitatis Symbolo te decorauit. Habes
O quocunq; decus de nomine: gloria robur
Quæcunq, tandem dat Tibi; KALINIAE faueas
Laudi: cum titulis titulos coniunge SECVRIS
Et splēdidos paruæ; dabit parua licet nitidas.
(Eximium magnæ virtutis stemma) Columnas,
Fulgebit atque machinis prodigiosa suis.
Syderibusq; audax supponet Pergama celsis,
Quorum micabit in tholo Pōtificalis honor;
Dicere & ipsa suam cupiet Sapientia sedem
Iam, iam Securis vrge opus KALINIANA pium.
Ascia Sydereis animosa fauoribus ardet,
Orb iuuare & vult Tuos. Perge & ama, quod
(agis.

I.

Columna Sacerdotij.

Maximus vt crescat.

SECVRIS ignes prome magnos: machina
Sublimis id poscit columnæ: fer nouum
Felicis ingenij decus: vult gloria
Illustris hoc magni SACERDOTIS: pete
Rutilantia Numadum iuga; fode Synnados
Altum cruentæ verticem: per candidos
Generosa montis Lygdini te fer sinus.
Rue marmora: altam finge solers machinam:
Trinos colores iunge saxorum: micat
Virtute KALINII decus trina: nitet
Trina SACERDOS hic coruscus gloria:
Effingat ignes marmor igneum, quibus
KALINIA pietas flammat, & prensat polos:
In Synnados stet purpurâ Mars sanguinis
Auidus, & acres KALINII gerat animos,
Queis munit aras, Numinis & hostes premit.
Det puritatis pura Lygdos Symbola
KALINIVS aras quâ coruscus candidas

Exor,

Exornat, Angelicum agmen & caſtus ſubit.
Vrge S E C V R I S opus, Columna fulgeat.
Inciſa marmora hic Sacerdotem notis
Illuſtrem Olympo venditent: ALTARIBVS
Ardore, Puritate, Robore, dat decus.

II.

Columna Cuſtodiæ.

Argi lumina vincet.

Himettijs S E C V R I S audax rupibus
Inſiſte: fortem molibus
Oſtende te magnis. Columnam ſubrige
Cvstodiae quæ ſplendidas
Laudes Fidelis porrigat perennibus
Æternitatis curſibus:
Surgat Columna KALINII: faſtigia
Laconici ſtent marmoris
Suppoſita cælo: Pyramis per æthera
Diffundat altum verticis
Celſi coronam, quam Rhodus Smaragdinis
(Inanis ô quantum tumor)

Suſpe-

Suspexit inclytam nitoribus faci
Apollinari & subdidit.
Hos KALINIA meruit tholos Custodia :
Virescat vt Smarag dino
Meruit Colosso : fortitudinis nouas
Et spes metat : noui legat
Vigilans maniplos ac honoris Ascia.
Vrge Columnas : altius
Prensat iter ardor KALINII : Pyramides
Vult celsiores gloria.

III.

Columna Decanatus.

Virtutis præmia iusta.

GEstit Onyx ; in vlnera fibras
Plaudensq; suas pulchra SECVRI
Suggerit. Alto vertice celsa
Pyramis acris ludere poscit :
O KALINIIS quæ lux oritur
Fastis ! laus est magna columnas
Meruisse. decus nobile titulis
Marmora quærere magnis. Plausus

Accende nouos Aſcia: verſa
Marmora: forti vulnere ſcinde
Marmora: pulchram finge columnam.
I KALINIO molire nouos
Fortis honores. Stare Coloſſis
Dignus Onychinis, virtute thronos
Qui petit altos: agminis & Dux
Fit ſacrati Iure DECANVS.

IV.

Colu[mn]a Secretariæ Dignitatis.

Moribus Tuis REX, debuit iſta.

DEuota magnis marmora laudibus
Harpocratæ ſtemmata gloriæ
Sinu fideli claudite: fulgeat
Defixa veſtris pulchra ſilentij
Faſtigijs laus. Harpocrates petit
Sed quis coruſco Pyramidum tholo
Geſtire? Dic, quæ KALINIVM iubar
Iactas SECVRIS: dic, quis amoribus

Suauis

Suauis SIGISMVNDI steterat sinu?
Dic ille quis vir, cui rosa Regio
Fidelitatis candida de throno
Est missa? laus hæc KALINII est Tui.
Illius ergo Nomen adoreâ
Perennitatis vt decores, silex
Magneticus sub vulnus eat tuum,
Tuos & ictus perferat. Hoc decus
Ephestionum vult Taciturnitas,
Harpocratis vult Palma Silentium
Hoc, Tegijs & postulat à thronis.
Secreta Regum qui tacitis tenet
Conclusa fibris, non alios potest
Felix Colossos præmia tollere
Sinceritatis. Pectoris in sinu
Quod quis locauit, nec reuomit procax,
Magneticis est dignus honoribus.
Nefas quod hausit fundere credidit.

V.
Columna Suffraganeatus.

Tibi datum maxima posse.

QVid ftas léta SECVRIS? moue op⁹ KALINII petit
Quod laus magna: columnam artis habe
conſpicuam Tuæ
Solamẽ. Libici ſperne decus marmoris: inclyta
Cõtemnaſq; Phrygũ ſaxa: lapis dignior Indicis
Natus littoribus prenſat honore altiùs à Tuo
Extolli: radians vulnera poſcit Tua: Cædito
Gemmã KALINIVM pone Tuũ vertice gẽmeo:
Pantarbam fode: fert ſtẽma Tui nobile Kalinij.
Hæret merſ⁹ aquis, naufragij damna ſed horridi
Nõ fert [illegible] aquis nec ſtat in altis: ſociũ trahit
Ad ſe ag[illegible]idũ. Cernĩ? honor quãt⁹ ab aurea
Gemma [illegible]alinio creſcit: H[illegible]bet PROCHNICII s dec⁹
An non par fluuijs? vertice merſus ſtat in illius:
Solus ſtare nequit ſed tamen: eſt fluctibus altior
Dulcis naufragij damna capit nulla gregẽ trahit
Gẽmarũ, vada tam dulcia dum ſulcat: honorib⁹
Solus gẽma micans nobilibus. Magna Securis ô
Iam molire Columnã: Tibi ſe clarior offeret
Nunquã gemma: Tui quæ melius KALINII iubar
Effingat: vada dum PROCHNICII fluminis arduus
Intrat, naufragus exultat aquæ pulcher honorib⁹
SVFFRAGANEVS: & lætus ouili ſocio excubat.

VI.

Columna Episcopalis.

Vicina Cœlo.

EPISCOPALIS altam
Tiara tolle frontem:
LVCÆ superba luce
Antistitis decoros
SECVRIS in tholos fert
Te: per rubentis ardet
Carbunculiq; flammas
Dare te sub arcem Olympi.
Politur alto honore
Iam gemma: stat Colossus,
Tuiq; vult nitoris
Flâmma domum replere,
Nitidam perennitatis.
Columna ructat ignes
Carbuncularis: ardet
Antistitis quia acris
Mens, dexteræq; promptæ
Vigor, rogo æstuanti.

Flammat. Decora virtus
In frigido iacere
Cinere recusat: ignes
Iaculatur: igne pulchrum
Petit Colossum, & ASTRA.

VII.
Columna Cœlestis.

Vltima cælestem donabit Palma
Colossum.

VAnus columnarum coruscat altarum
Fulgor, superbæ dignitatis vmbra, in quo
Se iactat ambitiosa. vanus excelsi
Apex Colossi, gloria tumidis portat
Quem brachij super astra. vanus aurati
Honor throni, amplitudo qua fugax turget
Mortalium. Sunt vana cuncta, splendoris
Quæcunq; blandientis aureus pulchra
Radius facit. Olympum (columna cui cordi est)
Specta: perennes qui decoras ardescis
Rutilare Pyramidas super, thronos Diuum

Virtuti

Virtute solers occupa. Stat illustris
Hac laude Olympus, quod sit inclitus pulchris
Solus colossis: ipse quod triumphales
Pariat Coronas. Quid SECVRIS hic audes
KALINIA? tentabis opus arduum infausto
Omine? relinque, quod moues opus, Diuis.
Suprema dignius paratur in cælo
Corona, marmor Syderum magis lucet,
Perenniusq́, durat: ipsa, pius dicam, est
Perennitas. SECVRIS ista venare,
Hæc sculpe marmora: talibus triumphales
Virtus thronos fert: præter illa marcescit.

AScia, fræna ictus, iam desunt marmora: magnꝰ
Gemmea virtutis marmora spernit honor:
Summos Pyramidũ molitur Olympus honores;
Marmora syderibus sunt meliora: DEVS.

AVTHOR

Ad Reuerendissimum.

INcultâ dum pango Tuam Syringe Bipennim,
Nec nitida nitidum lauro anadema tego.
Fors præsul veniam irati mucronis in iras:
T V tege: si cupiat Mucro ferire reum.
Vel si tantus amor pænæ? Ascia findat amantis
Cor: non sāguis in hoc vulnere erit; sed amor.

aVspICIVM CresCIt LIVorIs seCVrIs
teLa faCessant.